



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 447. An & qualiter pignus differat ab hypotheca.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

juxta l. 2. *quæ res pign.* ubi: Quòd inutili & simpliciter nulli obligationi non rectè accedat pignus.

Quest. 447. An & qualiter pignus differat ab hypotheca?

Resp. Tam etià hypotheca pari omnino modo, ut dictum de pignore, trifariam sumatur pro re, jure & actu hypothecario, habeantque eundem effectum, ut Pirh. *h. t. n. 2.* Zoëf. *in ff. h. t. n. 2.* hæcque duo nomina pignus & hypotheca secundum communem & quotidianum loquendi usum confundantur etiam ab AA. sitque utrumque æquè generale, ita etiam, ut res mobilis, quæ tradita est, rectè dici possit hypotheca, & res immobilis non tradita pignus, ut Muller. *l. c. lit. v.* ac ita spectando hanc communem utriusque nominis usurpationem, dici possit, non differre, nisi sonitu, prout dicitur *l. 5. §. 1. ff. de pignor.* unde & Statutum loquens de pignore locum quoque habeat de hypotheca. Muller. *l. c.* cum Bachov. *l. c.* Wefenbec. *ad tit. de pignor. n. 3.* & aliis; cum Statutorum verba ex quotidiano, communi & vulgari usu loquendi interpretationem recipiant, nisi fortè ubi eadem utrique ratio æquè accommodari nequit Muller. *l. c. lit. s.* Bachov. *ad Treul. vol. 2. d. 1. th. 1. lit. e.* Nihilominus magis strictè & propriè loquendo differentiam aliquam admittunt, in hoc juxta magis communem consistentem; quòd hypotheca strictius & specialius accepta dicatur, dum solo consensu, seu consensu citra actualem ejus traditionem res obligatur, uti plerumque contingit in rebus immobilibus; pignus verò, dum res, quæ obligatur, actualiter traditur creditori, uti plerumque contingit in rebus mobilibus. De Lugo *de j. & j. Tom. 2. d. 31. sect. 2. n. 23.* juxta expressum textum *§. fin. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. hypot.* non obstante *l. 1. ff. de pign. act.* dum ibidem dicitur: Pignus contrahitur non solum traditione, sed etiam nuda conventionione: cum ibi accipiatur pignus largè & minus propriè, dum in hoc textu non dicatur: *Pignus propriè*, uti *in re* propriè additur in *l. si rem. ff. de pignor. act.* Reiffent. *h. t. n. 6.*

Quest. 448. Pignus qualiter dividatur?

Resp. Pignus & hypotheca accepta in lata sua significatione multifariam dividuntur; & primo quidem dividitur pignus ratione causæ efficientis in publicum & privatum. Publicum dicitur, quòd publica autoritate & potestate constituitur, quòd etiam à Bachov. *tr. de pignor. l. 1. c. 3. n. 1.* & aliis vocatur necessarium; eò quòd, ut Muller. *l. c.* citra voluntatem debitoris constituitur, ita ut, licèt debitor factio suo illius constituendi occasionem dedit, ipse tamen nolens volens necessè habeat pati, jus seu obligationem securitatis in re sua constitui. Subdividitur pignus publicum in legale, prætorianum, judiciale; pignus legale dicitur, quòd ab ipsa lege seu legis dispositione statuitur; sive lex illa sit universalis, sive provincialis, sive statutaria civitatis alicujus, ut Merlin. *tr. de pign. l. 3. tit. 3. q. 88. n. 29.* Lauterb. *in ff. ex quib. caus. pign. §. 5.* cum, ut Idem, jura provincialia & statutaria in locis, ubi vigent, eandem cum legibus vim & auctoritatem habeant. Idem est de consuetudine. Lauterb. *l. c.* diciturque etiam ab AA. pignus tacitum; quia nullo Judicis aut Magistratus præcepto aut decreto eget; ad distinctionem tamen illius pignoris taciti, quòd tale dicitur, quia citra conventionem expressam partium inducitur. Subdividitur nihilominus in pignus legale merum, quòd sine factio

hominis statuitur suumque esse unicè à lege accipit, cui proinde illud nomen pignoris legalis potissimum & specialiter congruit; & legale mixtum, quòd insuper factum hominis, illationem nimirum requirit. Lauterb. *ad ff. h. t. §. 13. ex l. 2. q. 6. ff. ex quib. caus. dividitur quoque in generale & speciale, prout ex dispositione legis vel bona omnia, vel res certa pignori obligatur. L. 1. q. 7. ff. h. t. Lauterb. l. c. §. 3.* Pignus Prætorianum dicitur, quòd à Prætoris seu Magistratu constituitur; dum nimirum, debitore ultro parere, & desiderio creditoris, quò is afferuationem debiti desiderat & urget, satisfacere tergiversante, Prætor ipse factum, ad quòd aliàs tenetur debitor, supplet & representat; unde communiter dicitur in hoc casu, factum Prætoris esse factum debitoris. *L. 1. C. si in caus. jud. pign. capt.* Lauterb. *l. c.* Judiciale dicitur, quòd post rem judicatam judicari servandi vel exequendi causâ per immisionem in bona per sententiam jam condemnati, vel ut plurimum per captionem pignorum inducitur *l. 2. §. 3. C. qui potior in pign. l. 10. ff. eod. l. 1. §. seq. si in caus. judic.* Laym. *l. 3. tr. 4. c. 30. n. 2.* Lauterb. *l. c. §. 14.* unde etiam, ut Idem, patet, vocari hoc pignus judiciale non ex eo, quòd à Judice pedaneo, utpote cui exequendi potestas non competit, sed nuda solum notio, constituitur; sed à Magistratu, jurisdictionem & mixtum imperium habente. Patet quoque, pignus judiciale à pignore Prætorio specificè tali distingui, ut contra Baldum *tr. de pignor. c. 3. n. 8.* Donell. *tr. eod. c. 5.* Duaren. *ad ff. de pignor. act. c. 2.* Cujacius *l. 3. obs. 30.* Negulant. *de pign. p. 3. memb. 3. n. 1.* Muller. *l. c.* & alii passim apud illum; nimirum per hoc, quòd pignus Prætorianum specificè tale detur ex primo decreto Prætoris per dictam immisionem sine strepitu judicii ante sententiam definitivam, quin & ante litem contestationem ob non præstitam rei vel debiti servandi causâ cautionem, vel etiam ob debitoris contumaciam, dum is latet, & non respondet, vel rei servandæ gratiâ, ut in legatis. *L. 1. §. 2.* ubi appellatione Judicis venit Magistratus. *L. 26. ff. de pignor. act. c. ut tua Fratemitati. ut lite non contest.* Stru. *in ff. h. t. th. 11.* Muller. *ibid. lit. s.* & seq. ubi etiam fuse, qualiter hæc immissio ex primo decreto detur contra pupillos, minores, prodigos, furiosos, & in ordine ad quos effectus, & qualiter tollatur. Judiciale verò pro sententiæ definitivæ executione in causa judicati ex bonis judicati jussu Magistratus capitur. *L. si plus. de evict.* Vultejus *l. 3. jur. Rom. c. 34. n. 29.* Muller. *l. c. lit. c. in fine.* Differt quoque Prætorianum à judiciali quòd ad effectus; quòd in judiciali executor statim possessionem & jus distrahendi consequatur, nec debitor cavendo, & expensas restituendo recuperare possit, nisi satisfaciatur creditori; in Prætorio verò locum habeat nuda detentio, & intra annum recuperari possit Arg. *l. 8. §. 3. C. de 30. vel 40. annor. præscripti.* cum judiciale regulariter sit exequendi, Prætorium ut plurimum servandi gratiâ. Lauterb. *l. c. §. 18.* citatis Negul. *l. c. p. 3. m. 1. à n. 1.* Merlin. *de pign. tit. 3. q. 17. n. 4.* aliàs inter dicta pignora differentias vide apud Franzk. *h. t. n. 24.* Bachov. *cit. c. 3. n. 4.* Conveniunt verò in eo, quòd ad utrumque requiratur actualis immissio & rei apprehensio. *L. 26. §. 1. ff. de pign. act.* Lauterb. *l. c. §. 16.* ita, ut non sufficiat sententiæ & decretum de immittendo in possessionem vel de pignore capiendo, *cit. l. 26. l. 19. §. 61. ff. de re judic.* Richter. *de privul. creditor. d. 10. p. 287.* Christina *vol. 4. decis. 164. n. 9.* Lauterb. *loc. cit.* nisi tamen stet per

Judi-